



Polyanthea Sacra

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

Spanner, Andreas

Augustae Vindelicorum, 1702

§. 2. Milites sancti, & probi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

TITULUS XVI. MILITES.

§. I.

Mirum, si probi.

Vives in gladio. Gen. 27. 40. S. Chrylost. hom. 53. scito, quod militarem vitam acturus sis. Miles non facile pius. Hebr. 12. 16. *Ne quis fornicator, aut profanus ut Esau.* Profanus, id est, ait Hugo, piger ad divina, alienus à Deo. Estne miles? omnino: nam patet Gen. 27. *vives gladio.* Velloso in Judich 1. Disq. 5. Par. 1.

Tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Matth. 8. 8. Si miles facile pius esset, non miraretur Christus hoc dixisse fide nobili. Ac nè quis negaret, hominem pià fide probatum esse; jurat persanctè Dominus: *amen dico vobis.* v. 10. quasi non facile crederetur miles fide pius. Deinde laudes aggerit: *non inveni tantam fidem in Israel.* Itane, Domine, minor est fides Petri, Joannis, Abraham &c. Litem solvit Cajetan: major erat illa fides in viro gentili, & militari. Velloso ib.

Tunc milites praesidis susipientes Jesum &c. Matth. 27. 27. Inter acerbissimas Christi D. poenas fuit, militibus tradi. Nec mortuo à milite parsum. S. Ambros. l. 66. cum peccant graviter, hac solent à peccatis suis primae voce excusare; quod militavit.

Interrogabant eum & milites. Luc. 3. 14. Priores tamen fuere de vulgo homines: *interrogabant eum turba* v. 10. Deinde exactores pecuniae publicae. v. 12. *venerunt & publicani.* Postremo milites v. 14. suo scilicet genio mores neunt, cum de re pia agendum est. Velloso ib.

Ordo militum nunc est, ordinem non teneat. Nam cujus os majore verborum spurcitià polluitur? Qui detestabilius jurat, qui minus Deum timet, qui ministros Dei vivificat, qui Ecclesiam non veretur: iste hodie in cœtu militum fortior, & nominator, reputatur. Blefensis ep. 94.

§. II.

Milites sancti, & probi.

Fuere tamen milites sancti, qui arma tractarunt salva fide, religione, pietate. Abraham quanta fides, & pietas! qui, hoste fusò, Melchisedech ex itinere adiit. Gen. 14. 18. *proferens panem, & vinum.* David sacros versus pangit inter lituos: Pl. 56. *titulus in finem,*

cum suggeret à facie Saul; ubi tragedia tota de vita castrensi. Pl. 59. *titulus in finem, cum succendit Mesopotamiam Syria.* Ità David pius in armis, religiosus in castris, sanctus in acie; totus in bellum ardere, flagrare totus in Deum solitus. Velloso cit. supra.

§. III.

Miscellanea.

Timete Dominum, & servite ei perfectò corde. Jos. 24. 14. Panormitanus l. 3. de reb. Alphonfi c. 51. Alphonfi Rex Aragoniae filio suo, dum in Florentinos moveret, hoc documentum dedit: victoria, mihi crede, non hominum disciplinis, aut industria paratur; sed Dei O M. benignitate, & arbitrio. Scientia rei militaris ita demum profutura est, si Deum nobis pietate, atque innocentia pacatum, propitiumque habuerimus. Quantum regi Abia ad victoriam profuerit custodia divinatorum praceptorum, vide 2. Paral. 13. 10. 11. Schönbelen Disc. 30. tempore belli.

Recensuit eos, quasi agnos. 1. Reg. 15. 4. Appositè milites comparat agnis: ut notet militum simplicitatem, & obedientiam; quod ut agni sequantur suum Ducem. Cornelius hic.

Quatuor sunt minima terra &c. Prov. 30. 24. Salazar appositè per hæc quatuor animalia accipit quatuor hominum genera; quæ Republicam constant, foveant, & promoveant. Per locustas, milites, qui urbem, & Remp. ab hostibus defendunt: locustarum enim exercitus, ordines, & acies, militiam quandam praefecerunt; imò ipsorum forma galeatos milites refert. Cornelius hic.

Ubi Christus est, omnis celestis militia adest, tanquam principi militiae virtutis Domini. S. Ignatius M. ep. 7. ad Smyrneses.

Charactere Domini inscribuntur servuli; & nomine Imperatoris signantur milites. S. Ambros. de obitu Valentiniani Imp.

De militia translatus est in militiam, qui terreni tribunatus, quòungebatur, officium Christianae militiae professione mutavit. Petrus Dam. S. de S. Georgio.

Dux Albanus Capitaneus Generalis exercitus Caroli V. habebat quatuorcentos juvenes animosos, & resolutos, quos vocabat prodigos vitae, & perditos Bagghàss. Hos in conflictu immittebat seorsim in latu hostium fortius; illi audacissimi, pugnacissimi, & certi mori, turbabant ordines hostium, eosque rumpendo ordinariè pariebant victoriam. Cornelius in Matth. c. 10.

Ti-